

15.

7/

1692

L. B. V.
Vana Sciendi Gloria:

Sive
Ineruditi Hominiis

cum Literato

Comparatio;

Quâ,

Nihil Hunc prae Illo Felicitatis

habere, ostenditur;

instituta,

atque,

PRO LOCO,

Ab Inclyta Facultate Philosophica per benevolè sibi concesso;
ad publicè disputandum,

D. XIV. Jan. A. R. S. cl. Ioc. X CII.

Hor. matut. in Auditorio Majori,

proposita,

à

PRAESIDE

M. CHRISTOPH. CHRISTIANO
HAENDELIO,

Cliente Onoldo - Brandenburgico,

RESPONDENTE

JACOBO ERNESTO SCHAUDIGIO,

Theilenhovâ - Franco, Phil. & SS. Theol. Stud.

WITTENBERGAE, Literis SCHULTZIANIS.

925 d



PERILLVSTRI. ET. GENEROSISSIMO.
MAX. STRENVO. ATQVE. MAGNIFICO.


PRAENOBILISSIMIS. AMPL. AC. SPECTATISSIMIS.
CELEBERRIMI. COLLEGII. PROVINCIALIS.
IN. INCLYTO. PRINCIPATV. ONOLDO BRANDENBVRGICO.

D N N.
DIRECTORI
CONSILIARIIS.
ASSESSOR.
ADIVNCT. ET.
DEPVTATIS.

INCOMPARABILITER. EGREGIEQVE. MERITIS,
BENE. PRECATVS.

PIETATIS. AC. OBSERVANTIAE. ERGO.
CONSECRAT.

PRÆSES.



I. N. F.

I.

Quòd nec Divitiæ, nec Honor,
nec Gloria, nec Voluptates aliæ, nec de-
nique Eruditio, ad Felicitatem hominis sem-
per & absolutè requirantur, illud suo loco fusius demon-
stravimus, ita quidem, ut unusquisque cognoscere pos-
sit, ea dubitationem amplius non habere. Restat tamen
adhuc, nobisque incumbit ejus rei probatio, *quòd scilicet*
Literati felicitas Ineruditi fortunâ hominis major esse, aut
dici, non queat. Hoc enim est, quod facturos nos sumus
polliciti. Quapropter liberemus jam datam publicè fi-
dem, demusque operam, ut perspicuè illud fiat, & quâ
par est, brevitate.

II.

Jure autem meritòque prima hîc nobis & antiquissi-
ma Cura esse debet, hortari Lectorem, ne, ut credat, ad-
duci se patiatur, statuere nos, universo hominum Gene-
ri Literarum studium necessarium adeò non esse, cum
nihil, quàm hoc arbitremur minus, suamque semper Li-
beralibus Artibus attribuerimus Laudem, suum servave-
rimus honorem. Nam sine doctrina vita est quasi mor-
tis imago. Solem è mundo tollere videtur, qui Literas

A

exinde

exinde tollit. Obbrutesceret orbis, belluæque fieremus
homines, sublatâ Eruditione. Quid haberemus præ Leo-
nibus, quid præ Lupis, ac Ursis, si nemo nostrum politus
esset studiis, nemo ullis ad vitæ officia disciplinis excul-
tus? Si Solis & Lunæ extinguas Lumen, iterum chaos
terris ingruet; idem timendum & Christiano esset orbi,
si artes bonas intercipias. Est quædam quasi vicaria at-
que adjutrix Solis Lunæ fax: adsunt & artes nostræ Soli
Veritatis. Hinc, quamvis multa passim certissima iræ
divinæ documenta exstent, magis clarum tamen inveniri
non potest, quàm quando quotidie minor eorum copia
fieri incipit, qui honestatis, qui sapientiæ & pietatis se-
mina instillare animis, eosque fingere ad veram frugem
præcipuè callent. His enim nisi maturè imbuuntur in-
genia, quomodo sibi Ecclesia, quomodo publica res,
consistere satis ac florere potest? omnia longè pessum-
eunt, ubi Musarum amor, verusque cultus Numinis &
pietatis Cura maximè friget: nec felix esse populus un-
quam potest, ubi sublato honesto & æquo Literarum stu-
dio pro cæca Libidine omnia administrantur. Quocir-
cà eò magis afflictas mortalium res existimandum est,
quò magis periclitantur Literæ, ademptis iis, qui eas do-
ceant & tradant. Non igitur, si salva esse velit, carere
doctrinâ hæc Mundi machina potest, sed esse oportet,
qui erudiant alios, & instillent infimæ etiam sortis ho-
minibus earum rerum cognitionem, quas sine salutis
honestatisque jacturâ ignorare nequeunt, ut sciant scili-
cet omnes, quâ vivendum ratione in Societate sit, ad
quam ipsi pertinent, ut norint singuli, quid credendum,
quidq; faciendum aut fugiendum sit, ut, quantâ opus est,
de verâ Religione habeant notitiam, perspectumque &
cogni-

cognitum, DEUM esse, & esse eum remuneratorem inquirentibus se, Hebr. XI. 6. Hæc scientia, hæc eruditio & doctrina hominem latere neminem debet, si beatitudini suæ attendere cupit, quisquis etiam ille fuerit. Cumque sufficiens modò eorum numerus, qui aliis suâ adesse operâ, animosque & mentes saluberrimis præceptis ad rerum scitu necessariarum perceptionem conformare, atque effingere debent, præsuppositus à nobis sit, certum utique est & indubitatum, posse quosvis hanc sibi faciliè comparare notitiam, dummodò patulas aures, benèque compositum pectus in publicos conventus, quæis verbum Dei sacris contentum literis pro Concione doceri & exponi simpliciter consuevit, domò secum attulerit.

III.

Ex dictis autem ultrò sequitur, non versari laborem nostrum in eo, ut duo illa extrema, Lucem & Tenebras, i. e. Eruditionem perfectam, ultimamque ignorantiam, conciliemus invicem; Sed illud nobis esse propositum, fontem Luminis cum radiis, exiguis quidem, absolutis tamen in suo modo ac genere, hoc est, summam artium & doctrinarum scientiam cum modicâ, at quæ nihilominus de Felicitate nos nostrâ sat satis instruit, conferre. In hoc enim occupati sumus, ut planè eruditos majori non perfrui beatitudine evincamus, quàm, quâ illis gaudere datum est, qui præter Religionis fundamenta nullam literarum cognitionem possident, nostrisque Laici dicuntur. Hos, inquam, comparare inter se, animus nobis & sententia stat, quia in comparatione vim rerum optimècerni posse, sapienter à Philosophis pronunciatum est.

I V.

De *Idiotis* primùm videbimus, eorumque felicitatem intuebimur ita, ut ex quatuor partibus constatam eam absolutamque esse statuamus: quarum duæ respiciunt Corpus, duæque Animo competunt. Illæ in bonâ consistunt valetudine & felici rerum, sine quibus vita esse non potest, possessione & usu. Hæ animi dona, & virtutes sunt, quibus dum student & obsequuntur, tantum intellectui affundunt luminis, quantum ad felicitatem requiritur, & conditio ipsorum concedit: aut, ut clarius me exprimam, ita vivunt, ut nec Deum lædant, nec propriam offendant conscientiam. Hæc duo posteriora Beatitudinis membra in ipsorum posita sunt potestate, & parata singulis, qui, quod hominis munus est, observare, & ceu par est, exequi laborant. Priora duo præstare sibi de se ipso, ut ut nemo possit, considerabimus tamen, quò exactam, omnibusque perfectam numeris imaginem summæ, quæ in mortalem cadere hominem unquam potest, fortunæ compendiosè exhibeamus.

V.

Cum *Literatorum* in hæc Vita Beatitudine ita comparatum esse judico, ut æquè ac illa, in quatuor, quæ enumeravimus modò, membris acquiescere credenda sit. Ac quidem, quod corporis integritatem bonorumque possessionem attinet, cernimus facilè, exculti bonis literis viri conditionem nulla ex parte ineruditi meliorem esse sorte, cum neutri quicquam juris in hæc duo competat: quippe quæ ex arbitrio & voluntate hominum pendere nunquam consueverunt. Scimus enim, omnium nostrum
res

res fortunæ adversæ vi & dominio æquo subjacere pe-
riculo, sapiusque in iis exerceri tam graviter summū
Professorem nominis, quàm durissimi cultorem agri.
Oriuntur tempestates procellæque subitò, ac magno
fragore tonitribusque imber delabitur, qui nostra pa-
ri, quò Rusticorum, modò, jugera inundat. Sentī-
mus omnes frigoris morsus, æstusque suo tempore ferre
oportet magnitudinem. Nec ulla aut Cœli injuria,
aut fati nominari potest iniquitas, quæ leniori in Do-
ctos imperio, quàm in rudes uti didicerit. Esto au-
tem, illos esse aliqua malorum sapienter tolerando-
rum potentia: quid igitur? num opifex fortitudine hâc
privatus omninò erit, nec ex iis, qui ad populum singu-
lis ferè diebus institui consueverunt, sermonibus, Vir-
tutem in sinistris elucentem rebus unquam cognoscet?
Certum verò, fatendumque apertè est, principes quos-
cunque Viros ac opulentos vel maximè temporum ex-
positos esse mutationibus, ut ex veritate profectò dica-
tur, non posse eos ritè felices putari, nisi valdè sibi fa-
miliarem fecerint eruditionem, non à Philosophis tan-
tùm sanioribus, verùm ab iis inprimis traditam, quos
Dei afflavit spiritus, quò percussī egregiè docuerunt, in-
genti semper humana contemnenda animo esse, cum
anceps ut plurimum sit fortuna, nec idem perpetuò,
quin, quæ adversa, exitiosa, prorsusque videntur mise-
ra, ea ita convertantur sapè, ut ex iis ipsis multæ com-
moditates emanent: contrà, quæ speciem habent fe-
licitatis, inde quæ acerbissima sunt, deriventur haut ra-
rò. Hæc non humilibus adeò, quàm qui eminent inter
alios summaque rerum præsident, necessaria est cog-
nitio.

V I.

Vix temperare mihi à Poëtæ clarissimi verbis possum, queis vivis, ut ita dicam, coloribus expressam Principum imaginem depinxit, dum hunc ferè in modum cecinit:

*Ut pinguis crassusque nimis, qui sesquipedali
Ventre tumet, morbis gravius citiusve movetur,
Quàm cui pauca caro mediocribus ossibus hæret,
Utque ingens Pelagus surgit majoribus undis,
Excelsosque aquat montes, dum tartara Ditis
Ima aperit fluctus ingentes inter & inter
Crudeles strepitus, exhorrendosque fragores;
Sic, qui summa tenent Reges fastigia rerum,
Urgentur curis majoribus, atque tumultu
Factari graviore solent, sed vulnera tanta
Ignorant humiles.*

Queis ab omnibus discordiis & bellis tum intestinis, tum etiam externis rectè est, ita quidem, ut singulorum animi societate & foederibus juncti, positæque quæcunque periculorum curæ sint, ii aliò, quàm simplici corporis cultu, opus non habent, quo contra aëris armati incendant violentiam; ex adverso autem miles, cujus operâ in bello utimur, cum telorum fulminumque expositus sit jactibus, iisque ex industriâ petatur undique, thorace insuper pectus tegere debet & clypeo, strictoque ense insultus hostium à cervice suâ depellere.

V II.

In quem autem hæc à nobis dicantur finem, illicò commemoraturi sumus. Scilicet, cum aeris violentiâ ea

nā ea comparandis, quæ naturæ mortalium accidere solent, adversam valetudinem, ultimamque rerum lineam, mortem. Adversus hæc satis suppeditat solatii Ratio recta, simplexque Religionis cognitio, qui communis vestitus omnibus hominum esse debet. Opu- lentis verò positisque in aliquo eminentiori statu non satis illo fieri habitu potest, sed alia quoque necessaria iis arma sunt. Dominatur enim in nostris fortuna negotiis, & ludere nobiscum sæpè videtur. Dat largiter dexterā, plus tamen, quàm dedit, auferre sinistra solet. Fallax quæque spes est, & fragilis, inanesque nostræ sunt contentiones, quæ in medio spatio franguntur pluri- mum, & corruunt, ac ante in ipso cursu obrauntur, quàm portum conspiciere potuerunt. *Magna, inquit Tullius, in utramque partem in fortuna vis est, vel secun- das ad res, vel adversas. Nam & cum prospero flatu ejus utimur, ad exitus provehimur optatos, & cum reflavit, affligimur.* Hæc igitur ipsa fortuna ita semper est feren- da, ut, quantum fieri potest, contemnatur. Equidem commovemur interdum humanis; certè enim à stipite, à saxo, à ferrea materia longè distat hominis natura; frangi tamen non debemus. Nulla vitæ nostræ pars à Constantiā absit, & à Virtute, quin, quò magis intolera- bilia sunt mala, eò clarius prudentiæ ostendamus Lumen oportet, neque committamus unquam, ut fati perversi- tas plus apud nos, quàm fortitudinis ratio valuisse vi- deatur.

VIII.

Hanc autem, ut diximus, vivendi regulam ii ma- ximè observent, quos hilari fronte fors intuetur, omni- umque

umque rerum donat abundantia. Etenim, quod plus
ipsis tribuit, eò subducere plus potest. Quapropter
nunquam confidant nimium secundis, ut ne desperent
meliora lapsis. Longè potius supra fortunam elevent
animum, huncque ab illà neququam pendere sinant.
Quod tùm demum consequentur optimè, quando in
pulcherrimarum literarum scientià laborabunt seduli,
& ab initio atatis omnium doctrinarum studiosi erunt,
omniaque, quæ à Sapientibus ad benè vivendum tradita
sunt, summo studio curaque discent; quæ quidem vel
optimis rebus & usui & delectationi esse possunt, in tur-
batis verò temporibus mentem à sollicitudine abdu-
cunt. His divinum quiddam Eruditionem esse judico,
& indicem veritatis, & Magistram vitæ, & omnium Vir-
tutum, omniumque laudandarum artium Parentem.
Iis autem, qui diurno quæstu famem propulsant, opifi-
cisque factitantes artem manibus laborant, non æquè
eam necessariam esse arbitror, cùm non habeant, in qui-
bus vehementer adeò exercere, eos fortunæ adversæ vis
valeat.

IX.

De Corporis quidem valetudine sciunt omnes, fa-
cere multum tuendæ illi exercitationes, quæ quippe a-
gilitatem membris ac robur addunt, nec parùm conci-
liant fortitudinis, cùm è contrario infirmi maximam
partem à Viribus sint, sæpiusque tentari morbis soleant,
qui Camœnis sacræ sua nomina, literisque diligenter
invigilant. Fac autem, opificis laborem plus requirere
operis sudorisque. Quid postea? Dabo enim & hoc
tibi, nec tamen ideò meæ quicquam derogabitur sen-
ten-

tentiæ. In hanc summam res redibit: Utrique æquum
impositum pondus esse, quantum scilicet uniuscujusque
ferre humeri possunt. Qui studiis vacat, nihil inter-
mittit, quantum facere enitique potest, ut benè collo-
cet tempus, majoresque indies faciat progressus; non
igitur est, cur conqueratur opifex, cui major, quàm illi
moles haut incumbit, quia ultra vires nemo agit, omnis
autem in quâcunque collocatus à Deo conditione fue-
rit, id imprimis faciat, ne turpi sese tradat otio, quæ
quippe res pestilentissima est, ac nescio, an ulla alia pe-
jus affligat genus humanum. Hâc origine ac fonte uti
semel in animos nostros derivata primum noxa est, ita
& hodiè nihil non malæ cupiditatis atque libidinis inde
in exitium perniciemque communem. Multò certè
minus flagitiorum scelerumque obtineret, si tanto plus
obtineret negotii, quantò plus otii plerumque corrup-
pit. Neque enim vacat temerè lascivire districtis; Ne-
que ullos facilius perversæ pravæque libidines, quàm
otiosos incessunt. Sui impatiens inertia est: Itaque dum
nihil habent animi, quod agant, malè incipiunt agere,
præcipitantque in vitia, qui nullo frugi negotio conti-
nentur. Ut verè Poëta dixerit, periisse arcus Cupidinis,
ubi sustuleris otia; nec aliâ causâ factum Ægisthum
adulterum, quàm, quòd desidiosus esset ac iners. Sicuti
vitium capiunt aquæ nî moveas; sic languorem ac ægri-
tudinem corpus trahit, quod segni otio perpetuò tor-
pet, sic & morbescere animi solent, qui nulli laudabilis
rei studio sunt intenti, adeoque sapienter & ex Veritate
Gallis usurpatur; *autant & momens, que l'on perd mal à
propos, c'est autant de tems, que l'on retrenche à sa vie.*
h. e. Vitæ abrumpitur, quora temporis pars malò locò
reponitur.

B

X, At

X.

At, ut ex diverticulo in viam redeamus, ex iis, quæ elocuti hactenus sumus, bono jam concludimus ordine: Nihil, quod Corporis beatitudinem attinet, præ in erudito homine habere Literatum, sed, si admodum disputare clementer volumus, utriusque in eo sortem, æqualem esse, citra dubitationem posse statui.

XI.

Videre jam mihi videor immutatum nonnihil vultum tuum, parumque abesse, quin mecum sentias, modò idem Tibi de Animo etiam fecerim planum. In eo enim gravissima disputatio est, cardoque versatur controversia. Hic tibi, scio, serupulus hæret, hic, inquires, artis erit opus, hic Rhodus, & saltus, sed certè non tantum, quantum fortè putas. Etenim planè habeo persuasum, non discrepare à meâ opinione tuum iudicium, quando paulò ante animi felicitatem eam verè esse meministi, ut omni, scilicet, studio caveamus, ne Deus à nobis, & propria ladataur conscientia. Id quod inter omnes constare notiusque esse, quàm, ut probari debeat, arbitror. Animi quippe beatitudinem ejusdem requie, & voluptatibus absolvi perspicuum est. Animi autem Voluptas nulla honestior esse alia potest, quàm si Deo placere studeamus, nihilque suscipiamus temerè, de quo non rationem eidem pariter atque hominibus reddere possimus. Unde rursus per se fluit: pari quoque & in hoc cum docto indoctum fortuna uti, cum commune omnibus officium sit, facere, quod debeant, æquoque assiduè animo, in quolibet se continere gradu, non se efferre nimis, nec unquam deficere.

X. Hac

XII.

Hæc certissima via est, quâ Dei consequi favorem, mentibusque tranquillitatem conciliare possumus. Aversa à Musis turba, de quâ hîc sermo nobis est, hautquaquam eâ ingenii acie, eo mentis destituitur lumine, quod perspicere non possit, quæ summo omnium rerum Moderatori & Arbitro placeant: Quapropter habere, etiam eam, benè colligo, omnia omninò, quibus summam animi obtinere felicitatem queat. Nihil exigit præterea Divina Benignitas, cùm nihil dederit magis. Jam verò ponamus hominem totam habere doctrinam, consultissimumque omnis divini & humani juris, planeque esse eruditum ac Venerabilem literarum miraculo; quid postea? Intrepidus sanè ac perquam confidenter, non esse, judico, cur felicior hic rude existimetur artium, qui quippe nullâ pariter non instructus apparet rerum, quæ ipsum in administrando ritè officio suo erudire utiliter ac adjuvare possit? Functus autem ex omni parte munere suo felix nobis, feliciorque appellatur, invicta, arbitror, nec superabili ratione.

XIII.

Sed verò Munus utriusque non unum est ac idem: Distant enim in hoc ac discernuntur ab invicem longissimè. Ingressi haut vulgarem literarum in viam, strenuè promovere pedem, perque eam procedere alacriter debent, ut indies melius de ipsis mereantur literæ, ipsique vicissim de iis. Ast qui elegantiori huic studiorum generi non sunt assveti, nec locò ita, nec occasione ferente, non opus etiam eorum indagatione habent;

B 2

Sed

Sed rectè suam instituunt vitàm, si id agunt, ut aliorum, quæ à Deo ipsis imposita est, negotiorum molem, sine tergiversatione tolerant & controversia.

XIV.

Ceterùm ex discrimine hoc nihil concludi aliud potest, quàm fortasse, quòd illi, quorum humeri majus sustinere onus debent, magis quoque extollere sese ac eminere præ reliquis facultatem habeant, adeò, ut omnibus accuratè consideratis, occupatiores hominum beatiores semper putandi sint. Igitur, si scire Tibi curæ est, in quonam statu feliciter degere ætatem, fortunæque tuæ consulere potissimùm queas, id tantum efficere debeas, ut relcias, num præstantis doctrinâ Viri, an alieni ab illâ, num ejus qui imperat, an qui jussa facit, num Regis conditio, an verò subditi magis existat difficilis. Nostrum, in præsentem non est, penitus contueri, ac inquirere in status mortalium singulos, eosque ad examen revocare accuratius, ut, cui maxima annexa incommoda sint, pronunciemus audacter. Solet enim ita venire usu, ut, quæ admodum parum habere difficultatis videtur, ea sapius conditio gravissimis prematur oneribus. In eo nos versamur tantum, ut tantum, dicamus, abesse, is, qui suum vitæ genus durum esse & molestum arbitratur, se propterea infeliciorem existimet, ut potius additum ei ad fortunas suas hoc ipso nomine plurimum esse firmiter sibi persuadere debeat.

XV.

Nunc autem, ut destinata eò exsequamur fortunatus, primùm statuere nos, sciatis singuli, nullam pro-

ssus,

sus, qualis qualis ea fuerit, & cuius fuerit cuncta voluptatem ad animi beatitudinem nostram in hac referendam esse vitam, nisi illam, qua ex recti conscientia mente lataque, omni felicitate circumfluentis aeterna Lucis spe oriturque & nascitur. At quicquid aliarum voluptatum reliquum est, huc non pertinere iudicamus: quae quidem, si ultrò sese offerunt, frui licet sine dubio, hanc tamen adhibitam cautè prudentiam, ut major semper animi habeatur ratio, infraque eius jucunditatem caetera collocentur universa. Deinde, cum frequens valdè, penitusque non sit insolens, unum idemque & ratione muneris nostri & simul haut mediocri nostram cum voluptate fieri, hoc est, esse bene multas res, quas ut faciamus, hominis postulat officium quibusque singularis adhuc inhaeret delectatio, igitur monendum Te esse duxi, ut eas ipsas non tam propter effluentem inde dulcedinem, quam obedientia pietatisque praestanda causam suscipias pariterque & agas. Majori Te perfundere letitia debet rectè factorum memoria, quam eius ipsius voluptatis usus, qua naturali dispositione ac ordine ex ea, quam factitas, re, redundare in Te solet. Vetus enim sapientum, & memorabile dictum est: Rectè facere, non ex iis, quae consequuntur, sed ipsum semper per se bonis Viris laudabile visum est. Unde ut credo, intelligi non obscure potest, in maximam ponendam laudem omnia ea esse negotia, quae honestè quidem, at nullam ullius commodi spe, nullam insecutura illicitò utilitatis expectatione, voluptatisque desiderio, amore tantum Virtutis munerisque fidei recordatione exsequimur. Hec enim sunt, quae sano possunt homini exoptatissimam mentis requiem, nec intermoriturum ullo tempore gaudium conciliare, esseque apud animum pro aeterno obside administrati dextrè atque prudenter officii.

XVI.

Quæ omnia nostrum applicata ad propositum fidem facere cuique debent, humilè vitæ genus molestissimùmque, nec non quod remotum à literarum studiis est, præstare reliquis quantum ad animi pertinet felicitatem, cuius quidem antiquissimum haberi curam oportet, dummodò, quid factu opus sit, didicerimus fideliter. Deique O. M. imperium ac auspiciū sequi constantissime, audientes Eidem perpetuò esse, nihilque non ad Voluntatem ejus accommodare.

XVII.

Igitur quando mentis Beatitudinem in tranquillâ tantùm conscientiâ, jucundissimæque æternitatis spe sitam esse, sententia nobis stat, fugere amplius neminem potest, vitæ rationem in contemplatione & cognitione rerum sitam, nisi in quantum ad religionis pietatisque pertinet exercitium, huc reducendam non esse. Unde ii, quorum fors non patitur, ut in contemplandis rebus perspiciendisque totos sese ponant, nullum hujus felicitatis damnum faciunt. Quid enim? num scribere sibi dicam necesse habebunt ipsi, eò quòd ejus expertes rei sunt, quam ne obtinerent, fortunæque obstitit vis, fatigue prohibuit ex adverso interveniens telum, aut multò magis supremi Numinis sapientissima voluntas. Id verò existimo hautquaquam! Quibus enim ita caremus, ut absentiam illorum nostra non pepererit malitia, nec ullo à nobis pendeat, modo, ea etiam nullum sapientibus incutere mœrorem, nullam injicere tristitiam, nullum afferre scrupulum, nedum turbare conscientiam.

scientiam poterunt. Quod si autem hoc non poterunt,
qui obesse meritis poterunt, piorumque existimationi?
Laudatissimum opus pulcherrimumque meritum in
Virtutis habitat apparatu, Virtus verò in rectitudine
mentis, & hæc in conscientia integritate. Denuò ergò
sequitur, quòd præteream notitiam, quâ vera Virtus ac-
quiritur, nulla sit, deturve alia, quæ supra communem
mortalium sortem elevare nos, inque majore Laudis
gradu atque dignitatis ponere queat.

XVIII.

Cognitum inter omnes à primordiis rerum ad hæc
usque tempora est, perspectumque erit, quàm diu hæc
hujus mundi durabit machina, ac sanitatis supererit ali-
quid, suas unicuique actiones, sua instituta & opera Lau-
dem creare & Viluperium non verò aliena, ad quæ nihil
contribuit aut confert, ut proinde non eleganter tan-
tum, sed & nervosè ac graviter Poëta dixerit:

Et Genus & Proavos, & quæ non fecimus ipsi,

Vix ea nostra puto

Nostra autem ea tantum propriè verèque loquendo exi-
stunt, quæ in arbitrio nostro atque viribus sunt colloca-
ta, non, quæ potentiam nostram agendique facultatem
transgrediuntur & superant. Illa fiantne, nec ne, mul-
tum interest, hæc ne quidquam. Illa ad officii nostri
rationes valdè pertinere judico, hæc minimè. Illa ad-
dere quamplurimum fortunas ad nostras nominisque
famam possunt, hæc nec dignum aliquem, nec indignum
reddere. De illis igitur solliciti simus, sine intermissio-
ne cessationeque, de his nunquam laborandum est.

XIX, Cla-

XIX.

Clarius si velis, magisque informari perspicue, ita Tibi habeas. Ultima Laus & supremus honor, verumque decus ex Virtute nascitur absolutissima. Absolutissima Virtus ex administrato bene officio fluit. Administratum optime officium est, si summi, Sanctissimi, Justissimi que Legislatoris obsequimur per omnia, & acquiescimus voluntati. Summus autem Sanctissimus, justissimus que Legislator non requirit amplius à nobis quicquam, quam quod prestare nos posse novit. Ergo ultima Laus & supremus honos, verumque decus in prestitis prestandis consistit. Unde, quæ non possumus, cum prestare nec debeamus, consequens est manifestissimum, iis non prestitis, infeliciores nos propterea aut minus honestos bono dici jure non posse.

XX.

Relatis his ad scopum, apparebit non ambigue, ac, ut dicitur, rem dicta tetigisse. Cum literis enim elegantioribus ita comparatum esse, ut ex in omnium semper potestate sint positæ, nemo equidem tam stupidæ mentis est, ut serio statuat. Quapropter nihil illæ, vel addunt meritibus nostris, vel auferunt. Insigniter erraret eruditus, prorsusque risu dignus foret, si in mentem ipsi veniret gloriari de partâ sibi eruditione, suamque ideo personam rudiorum pietati magnificentius antepondere. Immerito laudatur, quisquis ille fuerit, ob doctrinam, quam forte possidet; communem etiam aliis, si idoneis instruere eos mediis Deo placuisset; sed prestantissimum in literato illud est, quod, demandatis sibi rebus recte

rectè ac sapienter usus, egerit, quod suum erat, nullamque conscientiae suae intulerit injuriam. Hoc, inquam, apprime est suspiciendum, honestandum, efferendum, hocque maximè nomine felix esse & ornari laudibus multà conspicuus scientià homo potest. Quid autem inde peculiare habet præ cæteris, qui, quamvis simili non præditi doctrinà sint, simili tamen non carebunt laude, dummodò suis nunquam deerunt partibus? Nihil certè arbitror! Idcirco eò res redit, non posse scitè pereruditum, eò, quòd eruditus est, beatiorè dici inerudito eò, quòd ineruditus est, si cætera fuerint paria.

XXI.

Dictum verò nobis paulò ante est §. XV. quod, quicquid aliarum voluptatum, quæ ex contemplatione rerum proficisci solent, reliquum sit, permissum quidem esset, ut iisdem perfruamur, hæc tamen cautè adhibita cum prudentia, ut major semper officii habeatur ratio, infraque ejus jucunditatem cætera collocentur universa. Nec dubito sanè, quin stent mecum Boni, sentiantque omnes nihil aut dici rectius, aut excogitari verius eà posse sententià, quâ pium hominem, præditumque egregià aliquà virtute tum demum rectè suam instituerè vitam pronuncio, si id agit, ut demandatum sibi à Deo negotium fideliter undique, maximoque cum studio suscipiat, faciatque, nec cesset unquam ab hoc laudabili instituto, quo & Dei favorem & hominum laudem, vel optimam certè conscientiae requiem tranquillitatemque adipisci potest. In hoc autem æqualis omnium conditio est, certiusque rursus, posse tam rudem benè, quàm, qui artis fuerit eximia, illud semper observare,

C

& quo

& quo summa promanat felicitas, h. e. adesse diligenter
imposito sibi muneri, virtutisque viam non retardatis
ingredi pedibus.

XXII.

In eadem etiam periodo brevibus quidem, at cla-
ris tamen perspicuisque verbis indicatum à nobis fuit,
ex quonam fonte & principio amor noster atque stu-
dium erga prosequendas literas fluere debeat, osten-
sumque simul, non idè ad bonarum perceptionem ar-
tium pectora nostra formanda esse, quia per se sunt ama-
biles, & inseparabili quasi nexu junctam sibi pulcherri-
mam voluptatem habent, sed potius, quia officii illud
exigere videtur ratio, ut concessis à supremo Numine
viribus sapienter utamur, nihilque prætermittamus un-
quam, quo optimam nostri partem, animum, ad divina-
rum humanarumque rerum cognitionem accuratam,
effingere valeamus.

XXIII.

Nunc commemorabo paucis, *tres* potissimum ra-
tiones esse, quæ excitant nos acuuntque, ut ad liberalium
disciplinarum studia mentem adjungamus. *Una* ea-
rum Gloria est, laudisque cupido, quæ trahi solemus o-
mnes. *Altera* voluptas illa jucunditasque, qua culto-
res suos artium bonarum perfundere notitia potest.
Tertia, officii ratio, quæ animos hominum accendere
debet. De lucro hîc tacebo prorsus, quod quamvis
minimus esse existimetur stimulus, ultimumque mereri
locum videatur, legitimus tamen est certò respectu, nec
temerè ita reprehendendus.

XXIV.

XXIV.

Primum illud incitamentum improbandum simpliciter est, cavendumque magnopere, ne honesti hominis præoccupet unquam cogitationem, cum omnia ea, quæ pleno ore, totoque, ut ajunt, collo de famâ & immortalitate nominis dicuntur, magnificentius jactentur, quàm verius, omniumque rerum infirma sit gloria, nisi perpetuo ergà summum Deum amore studioque faciendi ritè munus sibi demandatum fulciatur.

XXV.

De Voluptate illâ, lætitiâque quâ in literarum pertractatione afficimur, si quæras, ita cum eâ comparatum esse intelliges, ut fatendum sit, ejus ipsius usum nos non promeruisse magis, atque eos, qui carere eadem necesse habent, cum literas nunquam didicerint, destituti, omnibus mediis rationibusque, quibus sine possideri doctrina non potest. Quid ergo? num hîc habemus præ illis aliquid, de quo gloriari jure meritoque possumus? num meliores nos laudabilioresque ideò credendi sumus? num vera illa, constans & perpetua esse voluptas potest, de quâ novimus certò, quod infinitis aliis, quibus actu non competit, non tamen debeat minus, quàm nobismet ipsis, quibus frui eadem fortè fortuna concessum, ita est. Ego quidem non arbitror, persuasum jamdudum, haud ideò de eruditione esse gaudendum, quia ipsa per se amabilis est, multò minus, quia rara est, nec communis omnibus, sed potius, quia multo labore, multis curis vigiliisque parta, pignus esse & indicium unicuique sapienti potest, nos, quod nostrum est, egisse.

C2

fide-

Fideliter, nullique pepercisse operæ, quò solum muneri
nostro ex omni parte satisfaceret.

XXVI.

Igitur stat imprimis nec excidit unquam, omnium
virtutum omnisque Laudis fundamentum, fontem & o-
riginem esse rectam undique officii administrationem,
hancque solam inter incitamenta illa studiorum princi-
pem tenere locum, ac imperitare reliquis. Quod si
autem in assequendâ honestarum artium scientiâ ope-
ram & industriam nostram nullâ aliâ ex causâ, quàm ra-
tione conscientiæ & officii collocamus, quod inde fluit
amabo? Illud scilicet, eorum vitam non deterioris con-
ditionis esse, quos Deus & fortuna ad alia vocârunt ne-
gocia: Quæ dum studiosè & cum curâ exeqvuntur, a-
gunt, utique, quod suarum partium est, & si hoc, gau-
dere etiam ex animo possunt, fruique summâ, quæ in-
mortales cadit, jucunditate.

XXVII.

Hæc verò, dum ita dico statuoque, non certè putan-
dum ulli est, venisse mihi in mentem, damnare audacter
voluptates quascunque reliquas, hancque solam legiti-
mi usus & beatæ possessionis dicere. Etenim, quis pro-
hibet frui Voluptatibus omnibus, quibus frui honestè
illæsq; pietate possumus? Quid? quod tam fieri ne-
quit, quò minus persentiscamus easdem, si ultrò sese of-
ferant, quàm impossibile est, ut apertis benè, sanisque
aut ullâ non impeditis ratione auribus non audiamus.
Hò tantum vis orationis meæ redit, nullam esse jucun-
dita-

ditatem aliam, quæ huic ipsi ex bonâ promananti consci-
entiâ anteponi, aut quæ æquè ac illa afficere animum,
nostrum debeat, sed omnes ita eidem esse subjiciendas,
ut reliquis careamus haut ægrè, hujus unius magnitu-
dine fructuque immortalibus nos existimantes.

XXVIII.

Eâdem etiam periodo evicimus facilè, in mæxi-
mâ ponenda laude omnia ea esse negocia, quæ ho-
nestè quidem, at nullâ ullius commodi spe, nullâ in-
sutura illicò utilitatis expectatione, voluptatisque desi-
derio, amore tantùm virtutis, munerisque fideli recor-
datione exequimur. Unde conclusum quoque bonò
ordine fuit, molestius Vitæ genus præstare reliquis, cum
opportuniorem semper præbere occasionem soleat o-
stendendi Virtutem animi probandi insuperabile ro-
bur. Præclarum enim est in maximis laborare, & quâ-
cunque re Virtutem emas, parvo emis. Non posse au-
tem nos ad ea, quæ summa sunt, sine sudore pervenire,
indicat illud, quòd Poëta, ne Herculi quidem Jove na-
to, nisi summis exantlatis laboribus cœlum dedere.
Interim verum manet, ac immotum consequens, sum-
mis difficultatibus vigiliisque summos etiam adscriben-
dos esse titulos, & quòd graviora sustinemus, eò magis
posse nos prudentiam nostram demonstrare, conspi-
cuumque mentis reddere Lumen. Hinc rectè pro-
nunciat Manutius Ep. I. Lib. V. *Sapientes Viri, cum inno-
center sanctèque vivunt minimè de proemiis cogitant, ne
probitas mercenaria videatur.*

C 3

XXIX.



XXIX.

Ponamus nobis ante oculos, fingamusque duos exercitus, unam admotos ad urbem, eamque circumfidentes acriter, ac summâ oppugnantes vi. Spem eos faciamus ab incolis fiduciâ loci elatis, fortique animo patientibus obsidionem, ultima tandem experturis. Decretum igitur supremis Exercituum Ducibus sit, omnibus collatis copiis tentare irruptionem, strictoque ferrô transilire muros. Jam verò adventante tanti discriminis tempore, obequitare alium suas cohortes, variâque oratione, prout cujuscunque aptum est ingenio, addere militibus animum, eosque tot bellorum victores inveteratæ admonere virtutis, civiumque in urbe speciem auro & purpurâ fulgentium repræsentare animis, ac prædam captæ urbis militum fore pro concione eloqui, adeoque animos nunc irâ in hostem, nunc spe præmiorum accendere, nihil denique non dicere quod vel hebetissimos homines acuere possit. Alium autem omnem prædam interdiceret suis, raptumque vetare vel minimum, nec ullius spem facere præmii, nihilominus tamen ut pugnent strenuè & ad internecionem usque, injungere. Nunc, neutiquam hos deficere animis, sed in ipso impetu prælioque non minori decertare virtute, quàm illi faciunt, quibus maxima vis auri atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas & à majoribus acceperant incolæ, & ipsi aliquot bellis ex totâ circum regione direptas, in suum oppidum securi congesserant, ante oculos versatur. *Quæis ergo, dic, obsecro, laus major aut admiratio debetur? Non dubito, quin, hisce respondeas, quorum animi nullâ spe aut*

expectatione inflati, sed solâ erecti Virtute, cupidine-
que obsequii accensi erant. Benè dicis, & ego ita sen-
tio, &, qui sanus est, nemo aliter.

XXX.

Sed fiat jam applicatio! inqvis, quam vide illicò.
Nimirum, qui studiis se addicunt, asperam quidem prin-
cipio, atque difficilem, progressu tamen planam amœ-
nissimamque viam ingrediuntur, inque perpetuo con-
spectu præmia sibi fructusque ponunt quàm uberrimos,
ut proinde sapienter B. Buchnerus noster Dissert. XXV.
*Frustra sunt, dicat, qui inter delicias & voluptates, & aliud
agendo veluti eruditionem ac sapientiam se consequi posse
putant, quæ, ut in sublimi posita sunt, ita eò sine summo la-
bore accedi non potest. Sed verò, qui semel tenuerit, eum
deinde perpetua voluptates circumfluent. Quâ de causâ
& Græcus orator rectè dixit: Radices literarum amaras
quidem, sed fructus earum longè dulcissimos esse. Ho-
rum igitur recordatio in animis studentium igniculos
accendit, urgetque assiduè, ut celeri gradu ad proposita
sibi præmia per ingressam semel Viam currant, quâ su-
peratâ securi sese oblectant in porta vivantque jucun-
dissimè in perennibus optimarum artium studiis. Sup-
ponamus verò jam homines etiam alios, qui quantum
præstare efficereve possunt, nihil omittunt, ut suas benè
observent partes, hosque, uti remotum à Literis at mo-
lestum tamen acerbumque Vitæ Genus per inevitabile
quoddam fatum amplexi sunt, ita neutiquam eam ma-
nere dulcedinem & suavitatem, quæ Musarum inascan-
tur vereque tandem pascuntur cultores. Annon ho-
rum ipsorum probitas elegantiore digna erit Encomio,
cujus*

cujus merces nulla est alia quam sui ipsius usus. Quæ omnia ad nostrum propositum conferre denuò opus non est, cum ipsa se applicent manifestè, sapiensque Lector summam argumentationis nostræ satis assequatur.

XXXI.

Sed opportunè, existimo, animus ad illud recurrit, quod XV. dicitur: Nullam Voluptatem qualis qualis ea fuerit ad spirituales Beatitudinem nostram in hac referendam esse Vita, nisi illam, quæ ex recti conscia mente, lataque omni felicitate circumfluentis æternæ Lucis spe oriturque & nascitur. Et enim fieri fortassis & contingere posset, hæc ipsa verba nostra ab iis, qui diversum sentiunt, ad debellandos nos ut converterentur, hunc ferè in modum. Scilicet largiemur, inqvient, evidentiâ adducti rerum, nihil Literatum hominem præ in Etudito habere eximii quantum Virtutis concernit meritum, & resultantem inde conscientie tranquillitatem: at hæret adhuc infixum mentibus scrupulumque movet non contemnendum id ipsum, quod de futuræ felicitatis spe lac expectatione dixisti, quæ nondum ab hac terrestri materia separatis frui cum gaudio & delectatione licet. Spes enim sola hominem in summis miseriis consolari solet, quoniam ei in aurem quasi tacitè quidem at cum fructu tamen infusurrat, fore, ut post diuturnos labores & molestiarum quasi tempestates, in quietis & otii portum deferatur. Esse nostrum cedere Deo & sine murmure comitari, qui fortunam nobis & casus ac Vitam ipsam denique moderatur & regit. Tempestatum prudentem gubernatorem in media serenitate capere

capere augurium de nimbis, & prætolari hyemem: contra cum grandine & procellis sævit undiqve calum, & horret maximè, id ducere tranquillitatis futuræ signum. Adversus torrentem istum dirigere brachia neminem posse, sed parendum omnibus esse fluctibus & obsequendum illis, quocunqve tandem devolvent & ferent. Sufficere si navem adhuc servare liceat, quantumvis illa clauda & mutilata multis partibus ejiciatur in terram. Non circumscriptam divinam potentiam, non alienis opibus indigere, prostratas etiam & desperatas penitus res erigere ab se illicò & restituere in felicitatem pristinam posse. Non dari inter homines, cui nihil unquam accidat secius. Ad divina suspici debere, & beatam immortalemqve Vitam expeti unam: *Cujus quanta bona sint, ex eo conjicitur, quod ipsa tantum spes tranquillitatem parit animis nostris, eosque non è malis modò, sed à malorum quoque metu vindicat,* piè loquitur Manutius L.2. Ep.14. Hac autem, pergunt, spes, & oriundum inde in quovis dolore solatium, quin solidiora multò & firmiora in animis existant sapientum eruditorumqve, quàm indoctorum ac rudium, dubium planè aut ambiguum non est. Ex quo incongruè fecisse nos, deducunt, quod tribus illis rationibus, quæ ad liberalium disciplinarum studia incitari homines, paulo ante commemoravimus, hanc non potissimùm quartam superaddiderimus, quæ sanè parum abest, quin primum mereatur locum.

XXXII.

Eqvidem haud ego inficiabor literarum exultos accuratâ cognitione certiozem ante alios spem & in excellen-

cellentiore etiam possidere gradu, si eam absolutè & prout in se est, consideraveris: sed verò spem illam majus robur majoremque agendi vim doctorum obtinere in mentibus, quàm ceterorum piorum in animis solet, non ita persuadere mihi simpliciter possum. Id certè verissimum est, Veritatem sæpè in profundo abstrusam & demersam esse, opinionibus & institutis teneri plurima, pauca veritati relinqui, innumera densissimis tenebris circumfundi. Venatione igitur & indagatione, opus est argumentique conclusionem, ut perceptio rerum appareat, verumque à falso non distingvatur solum perspicuè, sed & vindicetur circumspectè. Quid? quod dici non potest, quàm elucescant valdè juxta se posita, contraria, ut proinde non sit diffidendum, majorem apud Eruditum hominem eò, quò diximus, modò deprehendi certitudinem, qui quippe speculator esse & venator innumerabilium rerum potest. At persuasio tamen simplicis probiqve viri æque, credo, fortis ac indubitata est. Quàm enim parum responsum vident, tam parum etiam objectionum cognoscunt. De veritate plana aperta & sola judicant, cujus magna, ut Cicero ait, vis est, ut contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facile se per se ipsa defendat. Hæc eorum firmitudo solidafatis & ad felicitatem sufficiens est, altasque agit radices, quæ tam celeriter evelli à quovis vento non possunt, ita ut nec hac in parte tantillum sint doctissimis infeliciores, utpote quibus sæpenumero accidit, ut in insignem dubitationis compellantur scopulum, facile facturi naufragium, si rationis nimium obsecundare remigio velint.

XXXIII.

Assumamus duos Judices, iisdemque unam eandemque proponamus rem: uni quidem simpliciter, prout gesta & in se est, alteri verò prolixius, commemoratis omnibus, diversissimisque circumstantiis, quæ mirum in modum veritatis officiant lumini eique caliginem affundunt quàm teterrimam, spississimasque citra necessitatem accumulantes difficultates. Quæritur ergò, quas hic ante illum in dijudicanda & decidenda quæstione, ac dirimenda lite & sustollenda controversia commoditates habeat? Nullas certè: nisi quod remotis omnibus veritatum involucris, ipsâ experientiâ doctus est & informatus, non posse quicquam objici meritò & appositè contra evidentiam facti.

XXXIV.

Similem igitur in modum cum Eruditis Ineruditisque proceditur. *His* breviter quidem, sed tamen perspicuè clarisque satis testimoniis, genuina veritas ostenditur, demonstratur, & quàm fieri potest probatur firmissimè, ut certi satis certioresque de ea esse possint, omnique calamitati & quibuscunque afflictionibus jucundissimam adhibere medicinam, gratissimumque parare remedium. *Illis* autem centena millia vanissimarum quæstionum personant aures, & sexcenta incumbunt discutienda alia, quæ infensissimus mortalis Generis Hostis, omnibus viribus veritatem oppugans, in calamum quasi Clientibus suis dictitare solet. In quibus enodandis multum operæ infumitur & temporis, evenitque non rarò, ut alii multitudine subtilitatum,

D 2

aut

aut intricatarum potius stoliditatum obruti, hausti, suffocati, quò se vertant, nesciant, nec cauti adversus tantos malevolorum insultus omnem propemodum excutiant certitudinem, dum rationi plus justo indulgent, ejusque perversum quandoque audiunt imperium: Alii nunc in hanc Scyllam nunc in illam Charybdin deflestant, quodque hodiè arripiunt sentiuntque, altero die rejiciant contemnantque, nec sibi ipsi consent unquam. Optimi verò & sapientissimi quique, postquam & multum vexati & diu sunt, animò tamen non infractò, fateri tandem necessè habent, se in re ipsa plus, quàm Pii noverunt simplices, non nòsse, aut, si norint, non posse profiteri illud semper citra dubitationem.

XXXV.

Sed mittamus hæc ipsa, & perquam concedamus liberaliter, nullà adhuc coacti necessitate; esse inter Eruditos quosdam, quorum spes & expectatio firmior sit solidiorque aliorum hominum persuasionem; quid inde nobis accedet damni?

XXXVI.

Primum enim reverà est & certum omninò, valdè eorum exiguum numerum esse & modicum, nec talem, qui generalis positionis nostræ veritatem concutere aut quassare queat. Id quod ex omnium seculorum memoria, & quotidiè adhuc ex nostræ ætatis testimonio abundè comprobatur.

XXXVII.

Deinde fac etiam & finge certitudinem istam in
emi-

eminentiori gradu omnibus competere & singulis, quibus alii traduntur in disciplinam, hoc est: esto ita, firmitus Auditoribus suis ipsos persuasos esse Doctores, nihil tamen eo ipso adversus nos valebis, nihil invenies reprehensione dignum, aut ejusmodi, propter quod justum aut necesse sit, pristinum fastidire Genus, atque ad Eruditorum aspirare fortunam. Quid enim? annon jus fasque postularer, ut is, qui alteri doctrinam adhibet, magis possideat doctrinæ, quàm ille, cujus animum & mentem conformare præceptis atque effingere debet. Ipse Supremus omnium rerum Moderator & Arbiter, DEVS, Autor hujus ordinis credendus est, ut doceant Alii, Aliis autem audiendi gloria relicta sit. Quapropter frustra erit & impium, sapientissimæ institutioni nolle morem gerere, rerumque turbare societatem. Accedit adhæc illud, quod idem ille summus sanctissimusque Opifex tantum unicuique indulget & elargitur virium acquirendi luminis, quantum ipsi ad conditionem suam satis est, modò audiens sit Optimi Numinis, nec temerè eidem refragetur. Iis, qui in rectam sentiendi vivendique viam inducere reliquos, & saluberrimis instruere consiliis exemplisque debent, tantum concedit facultatis, ut commisso sibi muneri ritè præesse, & administrare partes, ceu par est, si velint, queant: at nec hos qui audiunt fideliter, suâ destituit gratiâ, sed donat eâdem ac exornat, ut in adversis jucundo, inque malis grato hoc sustentati solatio, consistant æqua mente, ac ex omni recreati timore quietem tandem aliquam capiant.

XXXVIII.

Quæ omnia eò rursus pertinent, ut ostendatur per-

D 3

spicue

spicue, intelligaturq; ab omnibus, nec hac in parte esse, cur rudes Eruditionem magnoperè appetant & exposcant, cum in quòvis vivendi piè statu felix esse & beatus possis.

XXXIX.

De cætero ne ex §. XIV. & XV. colligat aliquis, nemini utique de Literarum bonarumque artium studio valdè laborandum; sed potius id agendum omnibus esse, ut missà liberalium disciplinarum curâ, duriolem aliam graviolemque conditionem circumspeciant, quando ponimus ibidem, aut multò magis ex positis concludimus, molestius vitæ genus præstare reliquis, cum opportuniolem semper præbere occasionem soleat, ostendendi Virtutem, animique probandi insuperabile robur; igitur monendum hîc esse putavi, malè mihi absolutam hanc & ab omni liberam restrictione conclusionem affigi. Nondum enim asserui seriò, esse actu inter homines certas quasdam vivendi rationes & genera, in quibus mereri præclarior, quàm in Literarum possimus tractatione. Neque pronunciare hoc ipsum, ne dicam asseverare pro certo, quisquam poterit, nisi probè cognitum habeat atque perspectum, quas unaquæque conditio vel commoditates vel incommoda, quæ bona vel mala secum ducat.

XL.

Quod si autem ita tulerit casus, ut, plenè planèque de summa alicujus status molestia & difficultate persuasus, scire velis, utrum, tuâ, in qua es, Vitæ sorte relicta, grave illud amplecti genus, tenearis, tunc ego arbitror, quod neutiquam. Cur? Respondet Epictetus apud Arrianum,

rianum, inquiens L. I. C. IX. Ridiculi estis, qui ita sentitis, si ab aliquo vestro Imperatore locum & ordinem servare sim jussus, eum omnino servandum & custodiendum putetis, & ante millies appetendam mortem, quàm eum deseram; cum autem Deus quendam mihi locum vitæque degendæ rationem attribuerit, eam esse mihi relinquendam. Non sanè incongruè cum militia comparavit vitam nostram, in qua uti non licet, inscio vel non jubente Duce stationem atque locum suum deserere, ita nec homini licitum est, è statione sua recedere, cumque aliâ, quam Deus ipsi non præscripsit, commutare.

IXL.

Commoda, quibus utimur, lucemque, quâ fruimur, spiritumque, quem ducimus, à Deo nobis dari atque impertiri videmus, apud *Tullium* est, Oratione II. pro Sex. Roscio Amerino; i. e. quicquid habemus & possidemus, quicquid nominamus & sumus, ex Dei Liberalitate originem suam traxit. Ad ipsum igitur referamus omnia, nihil arrogemus nobis. In ejus acquiescamus Voluntate, nostraque digitò compescamus labella. Quod, Tacito Autore, M. Terentius Varro, cum ob familiaritatem, quæ ei cum Sejano intercesserat, in discrimen vocatus esset, Imperatori Tiberio scitè non minus quàm animosè inculcavit; Non est nostrum æstimare, Cæsar, quem supra cæteros, & quibus de causis extollas, Tibi summum rerum judicium Dii dedere, nobis obsequii Gloria relicta est: idem, non nihil pro instituto nostro immutatum, de Dei constitutione atque imperio, ut profiteamur, ratio & consilium, addo & pietas, svadent,

dent. Non est nostrum æstimare DEVS, quem in hac aut illa statione & quibus de causis colloces. Tibi summum rerum iudicium imperiumque, nobis obsequii Gloria relicta est.

IIXL.

Quæ cum ita se habeant, iterum dicimus iterumque, (ut in data incedamus similitudine) tam protervè facere illum hominem, qui Vitæ Genus, quod ipsi summus Imperator Vitæque Dux, Autor, & Princeps, præscripsit, relinquere non veretur, quàm turpiter agit miles ille, qui stationem deseritèque illa discedit, quam ipsi Belli Imperator copiarumque Dux attribuit.

VIII.

Atque hoc est, quod valdè optaremus, ut studiosius aliquantum magisque prudenter cogitarent secum putarentque illi hominum greges, qui vana religione capti, & pietate inducti maximoperè inopportuna, melius defraudatoribus suis parent quàm Deo, dum Regna, Officia, Parentes, Conjuges atque Liberos, & quicquid denique tenent facultatum, sponte sua derelinquunt, magnoque confluxu carceres implent & claustra, ut scilicet duriora subeant, talique factò & hominum promereantur laudes, & Deum observent à mortalium ingeniiis excogitato cultu. Usque adeò efficaciter animos minus rectè informatorum regere superstitio potest, ut peregrinam prorsus ingredi in viam, omnibusque modis niti in contrarium non dubitent.

VII.

VII.

Quod si credere quibusdam Historicis libet, ab A. Postumio filium, quod occasione bene pugnandi captus, injussu discesserit praesidio, Victorem securi percussum esse audiemus. Quantò igitur magis audaci impioque facinore Optimi Maximique Numinis provocabimus iram, si perfide abdicatâ legitimâ statione nostrâ propriò ausu eligamus aliam, qualis etiam ea, qualisve fuerit?

VI.

Ibo adhuc longius, eroque maximoperè clemens, & concedam vel illud, liberiolem nobis in rebus Civilibus esse licentiam, quàm militi mercenario relicta est, qui nî laborare suspirio velit, fierique, ut ille apud Plautum habet, I longum, h. e. infelici arbore suspendi, funeque finire vitam, necesse habet, nutui etiam obsecundare Ducis, ejusque injussu, nec pedem movere, nec gradum referre debet; non tamen propterea robur sententiæ & argumentationis cadet, sed erit adhuc firmum, stabitque semper, in suâ unicuique manendum vocatione & sorte esse, nec evagandum extra, ad subeundum gravius onus, ponderosiorumque sustinendam molem. Non enim video, quod inde ulli commodum fluat, quæve promanet utilitas, aut quæ conspicua ibi sit virtus, nisi meritum ingens elegantissimamque Virtutem iis adscribas, qui sublimi in aëre funi temerariò se committunt ausu, tamque diu saltatorum agunt ineptias, donec ad ultimum perruptâ

E

cer-

cervice miserabilem vitæ fortiantur exitum, tristemque adspicientibus præbeant faciem, nullo in Rempublicam collato unquam commodo. Natura equidem & ratio volunt, ut suis quisque intentus bonis suos procuret diligenter fructus, ita tamen se gerat, ut iis semper communem præponat utilitatem, quâ habere nihil prius, nihil potius debemus & antiquius. Neutra tamen unquam desiderat, ut plus perferamus molestiæ, quàm nostra ipsorum salus & publica requirunt. Quapropter sine mente, sine sensu & sanitate est, qui duriori, quàm divina jussit providentia societasque exigit Civium, jugo colla sua committit, nec assiduâ secum æstimatione pensitat, eos mereri pulcherrimè, qui, ut suo satis cauteque nunquam non prospiciant officio, allaborant quàm maximè.

IVL.

Quod, quemadmodum verissimum est, ita talem nobis parere conclusionem poterit: *In quocunque vivendi genere, in quâcunque conditione & statu equalis Gloria, par meritum, & simile decus est, dummodo id agatur, ne in omni sorte nostras desiderari partes patiamur.* Ergò, qui servit, si benè servit, eadem dignus est laude, quâ, qui imperat, si benè imperat: & sic porro.

IIIL.

Nimis juvat retrò legere vestigia, & de quâ paulò ante locuti sumus, militiam de novo hinc adducere
in.

in similitudinem. Nempe, sicuti in eâ & pedite opus est, & equite, neuter verò quicquam præ altero habet, ubi utrinque pari virtute pugnatum est, fieri tamen consuevit, ut partâ victoriâ, quando triumphus agitur, ii, qui equis militârunt, eant præ, reliqua phalanx sequatur, at nullo cum honoris dignitatisve detrimento, ordinis tantùm & disciplinæ conservandæ ergò: ita omninò cum variis diversissimisque mortaliùm vitæ rationibus comparatum est, in quibus omnibus, si præter virtutem & æqualitatem spectaveris nihil, bonâ cum nominis famâ similique existimatione degi potest.

III.

Aut si aliud magis simile placet, illud dabimus, quod, inter nos benè cognitum non aliunde accersere necesse habemus. Constat enim jam satis omnibus, quæ in solenni novorum Magistrorum renunciatione, de quarto ab ultimo loco malefactorum hominum præjudicia sint. Sed respondet B. Buchnerus Oratione Fest. VIII. ex Tit. 18. L. 9. Cod. de Mathematicis habitâ, sub finem: *Obluctari omnibus modis decet. Honores & decora distribuimus: quàm itaque absurdum erit, ac demens opinari, nos cuiquam conferre, quod nota ac debonestamento esse iuvat? Par omnium dignitas, ut Virtus est, itaque eodem pretio primus, ultimus, tertius, nonus, & sic deinceps aestimandi. Nihil intercedit prerogativa: Ordo tantùm est, quem etiam servare oporteret, si tot Platonès aut Aristoteles, h. e. Philosophia atque humani ingenii Principes: Vel, si hoc ma-*
E 2 *gis*

gis placeat, tot Augustinos produceremus. Nam trudere turbam velut pecus, an satis decere hunc augustissimum locum, hanc splendidissimam Panegyrim existimabimus? Namque necesse sequitur alter alterum, alius post alium nominatur: modò ex aequo omnes unam eandemque dignitatem consequantur. Non loco estimanda Virtus est, actione eam spectari oportet. Quà qui se exornatum atque insignem cumprimis ostenderit, hunc ego ceterorum Principem statuam, licet ultimus omnium erit.

II.

Quæ postrema verba nostro proposito vel maxime inserviunt. Facta enim, uti par est, applicatione tam in infimâ sorte, quàm supremâ, tam in literis, quàm extra eas, beatè neminem non vivere posse, si secundum virtutem vixerit, declarant haut obscure, confirmantque.

L.

Atque hæc sunt, quæ de assumpto Argumento differere visum hæc vice fuit, cum quibus, si ea conferas, quæ tribus præcedentibus Disputationibus, quarum una de Sumtibus benè & sapienter faciendis

ciendis, Altera de Divitiis potissimum, Tertia denique de Eruditione, ad beatitudinem nostram, (uti nec illis) necessaria, agit, intelliges, arbitror, atque cognosces, quid de Summo Bono, sive Vera ac Genuina Mortalium in hac vita Felicitate sentiendum sit, modò quidem non vulgari, communique, sed alià planè in ità viâ, vixque unius, nisi me omnia fallunt, notatâ vestigiis. Unde & est, cur obijciant mihi, qui nihil aliud possunt, summæ Auctoritatis, clarissimique in toto Orbe literario nominis Viros, à quibus ego diversum planè alienumque statuam; sed hos certè objectionum inanum Autores risu penè dignos esse existimo, facileque repelli vel
illò



illo posse, quod per jocum aliquan-
do Illustrem Virum dixisse memini:

*Studiosus sum, h.e. tale animal,
quod non vult cogi, cupit
persvaderi.*

SACRO - SANCTÆ TRINITATĒ
SEMPITERNA GLORIA!



6.






X.26159 11

VD17







15.

7/1
1692
6

Q. B. V.
Vana Sciendi Gloria:
Sive
Ineruditi Hominis
cum Literato
Comparatio;
Quâ,
Nihil Hunc prae Illo Felicitatis
habere, ostenditur;
instituta,
atque,
PRO LOCO,
Ab Inclyta Facultate Philosophica per benevolè sibi concesso;
ad publicè disputandum,
D. XIV. Jan. A. R. S. cl. l. c. X CII.
Hor. matut. in Auditorio Majori,
proposita,
à
PRAESIDE
M. CHRISTOPH. CHRISTIANO
HAENDELIO,
Cliente Onoldo - Brandenburgico,
RESPONDENTE
JACOBO ERNESTO SCHAUDIGIO,
Theilenhovâ - Franco, Phil. & SS. Theol. Stud.
WITTENBERGAE, Literis SCHULTZIANIS.

9252

